



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XII. Difficultates aliquæ contra doctrinam præcedentem soluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

quis Pater Filij demortui secundum superius disputata; tamen alio, eoque proprio (quamvis respectu prioris illius omnino æquiuoco) indigat relationem Patris ad Filium præteritum, & sibi non coexistentem: Atqui Paternitas, quicunque sit proprius eius intellectus, est vera relatio prædicamentalis: hæc ergo non est stricta termino præsentis, sed interdum contenta præterito. Quod autem Paternitas secundum illum significatum vendicat) haud enim primus in quæstionem verti potest, haud etiam facit ad præsens institutum) ita suaderetur. Negandum non esse videtur, quin Deipara in triduo mortis Christi eius mater dicta sit, atque hoc nomine à fidelibus venerata. Rursus, ut bene arguit Arriaga disp. 1.2. Logicae sect. 10. ubi satis inclinatur in hanc nostræ sententiæ partem, ut actio generatiua, siue sit præsens, siue præterita, sufficit ad relationem Patris: quidni etiam ad Filij, siue eius existentia sit præsens, siue præterierit? Ad hoc; Christus Dominus. Matth. 1. cap. dicitur Filius David, Filiusque Abraham, quibus tamen non coexistit, nec est coexisturus, donec immutemur omnes, ac resurgamus: quanquam autem hæc Filiatio Christi sit satis remota, magisque relatio nepotis ad proavos, quam Filij ad Patrem, nihil refert, quæ enim est vnus ratio, eadem est alterius, & vtrique est ex æquo relatio prædicamentalis. Idem argumentum confici potest ex aliis scripturæ locis, ubi passim appellamur Filij Adæ, eiusve posterius, ac nepotes. Vterius, licet qui pupillus est, dicatur haud habere Patrem huius alio sensu, nimirum eo, qui priori loco manet explicatus, cæterum communiter dici solet Filius Petri, verbi gratia, aut alterius hominis, vtrique iuxta posteriorem Filiationis, ac Paternitatis sensum vterque ergo, & non solum primus est admittendus.

CAPVT XII.

Difficultates aliquæ contra doctrinam præcedentem solvuntur.

157 **A**duersus priorem distinctionis nostræ partem haud sunt argumenta ponderis alicuius: quæ enim conficiuntur à Nominalibus, ea tantum confirmant posteriorem illius partem: unde tametsi aliis, non tamen nobis negotium facessunt. Aduersus posteriorem verò obijci solet primò: Nequit ens, aut res non ente constitui, ut certo videtur certius: at terminus non existens est eo ipso non ens, ac non res: nequit igitur relatio realis, & entitatiua, cuiusmodi est prædicamentalis, eo constitui: constitueretur autem citra dubium termino non existenti, hunc si feriret, cum de ratione relationis prædicamentalis sit ex termino, & fundamento intrinsecè constare. Secundo: nequit ens esse ordinatum ad non ens: esset autem entis ad non ens ordo, si quando fundamentum reale referri posset ad terminum non existentem, ac tantum in potentia. Tertio: relatio est nexus quidam extremorum; vtrumque ergo ex æquo postulat existens: alias cur repugnet vnio materiæ, & formæ, quarum vna sola existat, & non ambæ simul?

158 Quarto: relatiua, iuxta Aristotelem in prædicam. cap. 7. sunt simul natura: quæ autem ita sunt simul, sunt etiam simul tempore, & coexistunt inuicem: tum, quia id perspicue docet Philosophus cap. 12. sequenti: tum etiam, quia, quæ sunt natura non simul, sed alterum prius, alterum vero posterius, hoc ipso existunt in eodem tempore; ordo siquidem ille, siue successio est causa, & effectus, nulla autem causa effectum, quo non existit hic, quo non existit ipsa instanti, causat, potestve: quæ cum ita sint, relatiua esse

bent simul tempore, esse vero non deberent, si relatio prædicamentalis non peteret terminum actu existentem. Quintò: si terminus non existens actu, tantumque possibilis prædicamentali sufficeret relationi, Virgo Deipara, non solius Christi, quem genuit, mater esset, sed aliorum plurius, quos, etsi non genuit, potuit tamen generare: consequens autem fidei repugnat. Quin etiam iuxta eam sententiā nulla femina, quantumvis Virgo, non esset mater, nullus vir quantumlibet continens, non esset Pater: quod est euidenter falsum: etsi fortè verum, quorsum de Deipara Ecclesia tota? *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore.*

Sexto: Paulus, v. g. non existens haud potest esse similis Petro haud etiā Filius Petri, ergo nec hic è conuerso ei similis, euiusve Pater antecessor probatur: tum, quia non entis nullæ sunt proprietates, vt est in Philosophica paræmia: tum etiam, quia quemadmodum hæc prædicationes esse album, esse mulicum, & similes non sunt veræ, nisi earum existat subiectum, ita similiter dicendum est de illis, quæ de aliquo prædicant esse similem, filium, aut aliam id genus denominationem relatiuam: consequentia est perspicua quis enim non perspicit, similitudinem, & Filiationem esse relationes mutuas, & alteram in eodem genere, alteramque in diuerso recipiari, seu valere retrorsum? Proinde, si Petrus est similis Paulo non existenti, si eius Pater, hoc ipso Paulus erit ei vicissim similis, eiusque Filius: Pauli autem, quando non existit, nulla est similitudo, nulla Filiatio, ut visum: ergo nec Petri poterit esse vlla eius respectu similitudo, aut Paternitas, quæ erat superioris enthymematis consequentia.

Septimò: si est quædam Paternitas, v. g. quæ petit essentialiter terminum existentem, ut superius traditum; si alia, quæ non existentem, ac potius præteritum postulat, ut statutum postea: necessum erit profecto, ut extincto Filio, is, qui manet, nihilominus Pater diuersam habeat relationem à priori. Sequela est euidentis: consequens est absurdum: tum, quia, si in eo euentu fundamentum est idem essentialiter, necnon etiam terminus (nulla siquidem mors, nullus interitus rerum variat essentias) quorsum varietur Paternitas: tum etiam, quia superius cap. 10. positum à nobis est, siue actio sit præsens, siue præterita, & non existens, Paternitatem tamen in ea fundatam, eique velut conditioni innixam, esse prorsus eandem, & non aliam, aliamque; videlicet, quia in vtroque statu, quantumvis inuicem diuerso, actio haud est essentialiter diuersa, sed eadem: similiter ergo Filius, siue sit existens, siue præteritus, & existentia destitutus, cum neutra denominatio harum eius mutet essentiam, eandem Paternitatem, & non diuersam terminabit. Octauo denique ex B. Thom. secundo contra gentes cap. 12. si relatio aliqua prædicamentalis sit absoluta ab existentia termini, eiusque possibilitate contenta, sequeretur quantitatem aliquam à Deo creatam infinitas subire relationes æqualitatis, & inæqualitatis, cum aliæ maiores, & maiores sine fine, totidemque minores sint possibiles, tametsi ad actum non redactæ: infinitudo autem cathegorematica, ac simpliciter talis repugnat saltem ex natura rei, & citra miraculum.

Ad primū argumentū respondeo, prædicamentalem relationem latius fufam, & prout omnè realem, ac veram habitudinem cohibet, haud semper constitui termino: Quin etiam, etsi arctius sumatur, ac prout est similitudo, aut æqualitas, aliæ trium specierum ab Aristotele in cap. ad aliquid enumeratarum, non vero vlla earum, quæ per cætera vagantur prædicamenta eodem de illa modo non paucos philosophari. Deinde fac eam termino constitui, nihil inde quidem aduersus nostram

159

160

161

nostram sententiam: tum, quia terminus non existens, quamquam sit non ens participialiter; ceterum haud est non ens nominaliter, sed potius ens reale; hoc enim secundo sensu ens reale perinde est, atque quod verè distinguitur à chimera, siue existat, siue sit in potentia. Adde, relationem prædicamentalem ens reale etiam participialiter sumptum, siue, quod iuxta est, ens existentielle dici posse merito solius fundamenti existentis, quippe quod principaliter, atque in recto importat, tametsi terminus, quem in obliquo, & haud ita principaliter cõcernit, sit existẽtia destitutus. Eo pacto paternitas dici consuevit ens reale, etiãsi actionem præteritam, ac non existentem intrinsecè includat. Eodem etiam pacto æqualitas duarum quantitatum præter harum entitates positivas inuoluit carentiam vltiorũ partium, quibus alia exsuperet aliã & tamẽ ea vocari solet vera, ac realis relatio, non vero non ens, siue quidpiam negatiuum. Nec verò ens reale, quod deducitur in relationem, & cetera prædicamenta, tale esse debet ex toto, & secundum omnem rigorem, sed satis est, vt lato modo, & iuxta vulgarem loquẽdi vsum, sicut alibi haud raro monuimus: alioqui profectò nullum ens per accidens, nulla aggregatio rerum intrinsecè non vnitarum esse posset in prædicamento, aut sub ente prædicamentali contineri.

162 Ad secundum respondeo; illud euidenter insingi in relationibus transcendentalibus, vt etiam P. Suarez, & quidam alij aduersariorum habent in confesso: ea namque, quantumuis entia quædam referuntur ad ea, quæ sunt actu non entia: potentia. v. g. ad effectus, quos est productura nunquam: cognitio, & amor ad obiecta, quæ nequaquam sunt habitura esse reale, nec aliud præterquam intentionale. Ad tertium respondeo; similiter illud labefactari in relationibus transcendentalibus: quod autem assertur de vnione, super id, quod aliqua non postulet existentiam vtriusque extremi, vt patet in ea, quæ copulantur partes temporis, certè quæ extremorum existentium non esse nequit, hoc habet non tam, quia nexus eorum est qualiscumque, sed, quia strictissimus, & quo inter extrema distincta non sit alius maior: quæ ratio quid habet momenti in aliis relationibus, quæ tantum secundum quid sua nectunt extrema, ideoque duntaxat, quoniam ita ea comparant inuicem, vt vno perfectè cognito, debeat hoc ipso cognosci aliud?

163 Ad quartum respondeo; similitudinem illam naturæ relatiuorum prædicamentaliũ cum earum esse coexistentia coniunctam; at non esse propriam omnium, sed aliquorum, vt Conimbricenses in commentario capitis 7. de relatione animaduertunt, vtque inferius de eorum ac ceterorum interpretum sententia exponendum. Ad quintum respondeo; quamuis non requiratur existentia termini ad quamlibet veram denominationem patris, aut matris, at certè requiri actionem generatiuam præsentem, aut præteritam: huiusque defectu Deipatam haud esse parentem, nisi solius Christi Domini, quem videlicet, & non alios genuit. Atque hinc etiam satisfit ad aliam eius argumenti partem; & quod in ea obiciebatur incommodum, constat minime sequi.

164 Ad sextum respondeo: Paulus, etiam si non existat, tamen est similis Petro in ratione hominis, animalis, aliaue id genus: nam ad eiusmodi similitudinem satis est, vt vterque sit homo: at quamuis neuter eorũ existat, vterque nihilominus est homo: hæc namque propositiones: Paulus est homo: Petrus est homo; sunt semper veræ, vt aiunt veritatis, adeoque veræ, licet eorum obiecta nunquam sint in tempore exitura: quod autẽ dici solet, non entis nullas esse proprietates, reales vtique, & veras id intelligendum est

R.P. Richard Lyncei, *Philosoph. Tom. III.*

de non ente, tum participialiter, tum etiam nominaliter sumptum, quodque nec est existens, nec potest existere, sed instar Chimæræ repugnat: at constat ea ratione hominem non existentem haud esse non ens; cum possit existere, sitque quidpiam distinctũ à Chimera: quidni ergo possit esse realiter similis alteri? Similitudinis autem, & albi, musici, & aliarum id genus denominationum ratio est perquam diuersa: siquidem hæc denotant inhaerentiam ætalem alicuius accidentis, quam sine existentia subiecti quis vsquam intelligat? eam vero non significat denominatio similis quoad aliquod prædicatum quidditatum, & essentialis. Non me latet P. Suar. supra disp. 47. sect. 8. n. 3. improbabilem iudicare sententiam, quæ statuit non ens posse realiter referri ad aliud quidpiam, eoque nomine perstringere Gregorium Atiminensem eius sententiæ potissimum autorem: quem fateor ea nota dignum, ei si sermo fuit de relatione reali, non quacunque, sed reducta ad actum, siue actualiter alicubi inhaerente; hæc enim qui potest conuenire non enti? Qui tamen loquimur de ea, quæ non est existentialis, sed essentialis, more extremorum, quæ comparat inuicem, nullam meremur notam: neque nos imperit P. Suarez, vt eius numeri tertij contextus ipse luculenter ostendit.

At quid dicendum de similitudine, quoad prædicata accidentalialia? quid de filiatione, ac paternitate? an hæc denominationes respectiue conuenire possunt rebus, quæ non existunt actu, sed queunt tantum? nam, si non possunt conuenire, videtur propter argumentum factum, eas haud etiam esse possibiles erga terminum existentia destitutum: quod si possunt cadere in fundamenta, quæ non existunt, hoc nouam facit difficultatem, maioremque ea, quæ sese offert in similitudine quoad prædicata essentialia, & quæ haud ita prius est soluta. Dicendum cenfeo, quod atinet ad paternitatem, & filiationem, eas quidem quandam fortiti intellectum iuxta quem non possint competere, nisi fundamento existenti: nam cum iuxta aliquem postulent existentiam termini, quanto magis cum vendicabunt secundum quem existere debeat illarum fundamentum: huius enim existentia, vel magis vt docet P. Suarez supra citatus, vel certe non minus, quam termini desideratur ad relationem prædicamentalem quæ sit ea cumque. Verum enim aliud sensum eumque proprium admittunt paternitas, & filio, quem iuxta conuenire possunt fundamento, tametsi non existat.

Suadetur primo, quoniam vbi in sacra pagina Iacobus, v. g. & Ioannes dicuntur filij Zebedæi, is loquendi modus, & passim alij similes, non est cur censentur improprij quando denominationes, quas enuntiant sunt partim intrinsecæ, partim extrinsecæ, earumque nulla est accidens aliquod fundamentum inhaerens, eique denuo superadditum, sed complexio quadam fundamenti iam præteriti, ac termini similiter, aut quidpiam ab ea complexione virtualiter tantũ distinctum: est ergo talis locutio, & quauis alia id genus propria, atque adeo poterit quis dici vere filius patris licet actu non existat. Tũ secundo (& fere eodẽ redit) quia res, etiam si non existat, dicitur proprie cognita, quoniam huiusmodi denominatio accidentalialis est extrinsecæ talis ergo si est, vt non potest non esse relatio paternitatis, ac filiationis, quid ni possint conuenire homini postquam existere desit? Item, vt quis denominetur pater aliquo vero, ac proprio sensu, satis est genuisse filium: at de homine iam extincto vere affirmatur genuisse filium. Cuius etiam par est ratio: nam vt quis denominetur filius, sufficere videtur esse ab aliquo genitũ, ita vero denominari potest,

P 2 ac

ac solet, qui non existit, sed est vita functus. Præterea, etiam si terminus non existat, eius tamen est pater: quidni ergo talis appellari possit ille, qui terminum respicit, & fundamenti provinciam sustinet, quamvis non existat in præsens, sed extiterit duntaxat: atque idem confici potest argumentum in filio. Hinc constat antecedens eius argumenti sexti, cuius ergo hæc disputamus, falsò adstruere, nullo sensu dici posse verè filium eum, qui non existit, sed necessitati concessit, adeoque frustra ex tam falso colligere principio, eum non posse terminare relationem Paternitatis.

167 Iam quod attinet ad similitudinem accidentariam quoad albedinem, v.g. duplex eius est vis, ac significatio: prima est, Petrum, v.g. esse album sicuti Paulus est albus: atque ita iuxta superius dicta nequit esse sine termino existenti, ne dum fundamento, vel quod perinde, alterutrius existentiam efflagitat. Secunda est, Petrum esse album, sicuti Paulus fuit albus: haud enim raro dici consuevit, filium esse similem accidentaliter patri, etiam demortuo, quoniam eius colorem æmulatur, ac lineamenta: atque ita postulat existentiam fundamenti, sed non termini. Porro, si quis non habeat actu accidens, quod inest alteri, sed illud sit habiturus, haud poterit dici eos esse similes, sed fore similes: quo pacto dixit Ioannes epist. 1. c. 3. *Nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus*. Quamobrem sola similitudo quoad prædicata essentialia est relatio mutua in eodem genere, secus verò quæ est quoad prædicata accidentaliter intrinseca: ita enim vni similitudini haud semper correspondet alia ex parte termini, sed potius quædam inchoatio similitudinis, siue eius futuritio, quæ tamen ipsa sit etiam prædicamentalis (innominata quidem, ac nisi per circuitum minimè explicabilis more aliarum plurium) non tamen in eodem genere, sed diuerso. Hæc, cum ita sint, etiam si Paulus, v.g. non existens dici nequeat similis secundum albedinem Petri, hic tamen è conuerso ei poterit assimilari: Proinde antecedens eius argumenti sexti, in quo semper versamur, est verum hoc sensu, sed consequentia nulla propter iam iam disputata.

168 Dixi autem de industria paulò suprà, quoad prædicata accidentaliter intrinseca: nam si sint extrinseca, v.g. monumenta ad posteros transmissa, certè relatio penes illa nec termini, nec etiam fundamenti postulat existentiam: quo pacto ait Cicero in Oratore suo l. 3. *Atque id primum in poetis cernere licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Acciusque dissimiles, quam apud Græcos Æschilus, Sophocles, Euripides, quanquam omnibus par pene laus in dissimili scribendi genere tribuatur*. Vbi poetæ hi, etsi non existant, dissimiles, & tamen pares ferè, æqualesve dicuntur, quoad eorum nempe scripta. Eodem etiam pacto ait Fabius lib. 10. cap. 1. *Immortalem illam Salustij velocitatem diuersis virtutibus consequutus est* (puta Liuius) *nam mihi egregiè dixisse videtur Seruilius Nonianus pares eos magis, quam similes*. Taceo id genus alia, ac vereor, ne his quoque modum excefferim.

169 Non excidit mihi me dixisse suprà cap. 10. idcirco actionem præteritam non esse fundamentum relationis prædicamentalis, sed meram eius conditionem, quia est actu non ens: qui ergo in præsentia adstruo, Petrum, v.g. non existentem, omnique destitutum actualitate, esse tamen fundamentum similitudinis, tum essentialis, tum accidentariae, necnon Paternitatis, & Filiationis quarundam? Respondeo; ibi sermonem mihi fuisse de relatione prædicamentali, non quacunque, sed actuali, atque, vel in modo, aut aliquo simili denuo adueniente ei, quod refertur, vel certè in simul-

tanea existentia fundamenti, ac termini sita: huius autem fundamentum, & causa nequit non esse ens actu existens; nec contrarium in præsentia assero, aut probabiliter possum, iam verò loquor de relatione, quæ sit solum ens reale nominaliter more extremorum, quæ interiacet, non vero participialiter, nisi ad summum de præterito, vt aiunt, vel futuro: huiusmodi autem relationis prædicamentalis, cum sit, vel ex toto, vel certè quadatenus non ens actu, siue participialiter, quidni possit esse fundamentum, & causa aliquid, quod sit pari ratione non ens?

Instabis: ergo saltem relationis prædicamentalis hoc posteriori modo usurpatæ poterit esse causa, & fundamentum actio præterita, non minus, quam quod refertur, v.g. Paternitatis, qua Zebedeus modo dicitur Pater Apostolorum Iacobi, & Ioannis, non magis ipse, quam actio: vi cuius eos quondam genuit. Sed neganda est consequentia: nam in eiusmodi relationibus, quæ sunt entia realia tantum nominaliter, nec dicantur talia, nisi propter distinctionem à chimæra, & negatione quavis, haud habet locum causa, & fundamentum propriè, sed tantum per analogiam ad fundamentum, & causam relationis actualis: quod enim huius est causa, id in statu illo non existentia, idem etiam nomen sibi vendicat: quocirca, cum generans, non generatio præterita causet relationem actualem, solus ille dicitur fundamentum, & causa quodammodo eius relationis, qua dicitur Pater, quando non existit. Verum de hoc plura inferius, cum de distinctione reali relationis prædicamentalis à fundamento, & termino agendum.

Ad septimum argumentum respondeo; superius c. 10. satis ostensum esse, solam existentiam actionis secundum se esse conditionem relationis prædicamentalis secundæ speciei: quod autem ea sit præsens, vel præterita, nihil ad illam interesse, sed se habere per accidens potius. At quod existentia filij, v.g. non secundum se solam, sed modo quatenus præsens, modo vero quatenus absens, & præterita se habeat per se, vt aiunt, ad relationem Paternitatis, eiusque terminet connexionem essentialem prout in vno, proutque in alio statu, huius, superiorisque discursu capitis demonstratum est. Quæ cum ita sint, nulla certè est comparatio actionis cum termino facta, nulla vtriusque paritas: adeoque poterit altera, siue sit præsens, siue præterita eandem relinquere relationem, cum tamen eam necessario variet alter, quoties variatur ipsemet. Rursus extincto filio orbatu eo Pater, vt est luce clarius, orbitas autem illa in eo est sita, quod definit eius esse Pater, saltem sicut antea: tum ergo variatur Paternitas: at esto actio generatiua prætereat, esseque cesserit; modo filius eius vi genitus coexistat Patri, hic neutiquam dicitur eo esse orbatu: cur ergo tum variatur relatio? Denique, cum relatio definitur per ordinem ad terminum, eiusque totum esse sit esse ad aliud, per conditionem autem, vel nullatenus, vel certè non adeo explicare definiti soleat, magis profecto est, vt mutatio termini, eiusque de præsentia in præteritum, & ente in non ens commigratio relationem variet, quam quæ in actione visitur.

Ad postremum respondeo, concessa sequela: nam infinitas illa est non existentium, cum inuoluat terminos in potentia tantum, & ad actum minimè tractatos: est ergo secundum quid duntaxat, adeoque nullius incommodi. Quin etiam esto ea esset modorum actualium, haud video quapropter esset neganda suppositis principiis Aristotelis de compositione continui ex partibus, & punctis numero infinitis?